

**www.e-rara.ch**

**Relatio facta in consistorio secreto coram S.D.N. Gregorio Papa XV. a  
Francisco Maria episcopo Portuensi S.R.E. card. a Monte die XIX.  
ianuarii M. DC. XXII**

**Del Monte, Francesco Maria**

**Dilingae, 1622**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rp 87,3

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-45098>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

RELATIO  
FACTA IN CONSI-  
STORIO SECRETO CO-  
RAM S. D. N.

# GREGORIO

PAPA XV.

A FRANCISCO MARIA EPI-  
SCOPO PORTVENSIS. R. E.

CARD. A MONTE

DIE XIX. IANVARII. M. DC. XXII.

*SUPER VITA, SANCTITATE  
actis Canonizationis, & miraculis*

BEATI FRANCISCI XAVIER  
E SOCIETATE IESV.

*Sum Monij  
sub Abbate*



*Kleinart  
Eberhardo 3°.*

Excusa primò Romæ, apud Hæredē Bartholomæi Zanetti,  
Recusa Dilingæ, apud Vdalricum Rem.

*Cum Facultate Superiorum.*

M. DC XXII.

ACTA IN CONCL  
SACRUM SECRETUM  
ET  
EXTRA

# GR<sup>E</sup>GORIO

PIPERI  
TRINICIO MARIA ET  
SOPRO PORTAVITAE  
C<sup>A</sup>LL<sup>A</sup>MB<sup>A</sup>NT  
DIE XIX JANUARI M DCXXII  
ACTA NITA SINCERI  
GR<sup>E</sup>GORIO C<sup>A</sup>LL<sup>A</sup>MB<sup>A</sup>NT  
ALIA TRINICIO KAVI  
E SOGOTI



GR<sup>E</sup>GORIO C<sup>A</sup>LL<sup>A</sup>MB<sup>A</sup>NT  
ALIA TRINICIO KAVI  
E SOGOTI

**I**VINÆ prouidentiæ consilio statutum est, Pater Beatissime, ut Christus Deus, & homo ineffabili mysterio in tempore de Virgine natus, suæ legis splendore humanum genus ad salutem illustraret: quem propterea Aeterni Patris nomine ita Isaias alloquitur: *Ecce dedite in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Non tamen omnibus per se ipsum Christus hoc beneficium contulit: sed intra Iudææ fines se continuuit; inde verò Apostolos, tamquam Sol splendidissimos radios, misit in vniuersum mundum prædicare Euangelium. nec Apostoli electi à Deo nuntij omnes orbis terræ prouincias peragratunt. Sed cū falli nō possit diuini Oraculi vox, quæ de illis prædixit: *In omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terra verba eorum:* Apostolis Apostolici viri successerunt, qui ab hac Sancta Sede missi Christum Dei salutem, ac veram mundi lucem alijs subinde prouincijs prædicarunt.

Hos inter Seruus Dei Franciscus Xauerius ita cluxit, ut in eo diuini Oraculi pars illa impleta esse videatur; *Et in fines orbis terra verba eorum.* Diuino enim beneficio segregatus in Euangelium Dei, quæ immensa patent Oceanii littora ad ori-

entem solem, deduxit sonum Apostolorum, *Et in fines orbis terræ verba eorum.* Nam ut taceam Indos, Brachmanas, & Malabares, ad quos aliqua Euangelij fama olim emanauit, & multorum sacerdorum æstatibus oblitterata Xauerij prædicatione reuixit: ipse primus Parauis, Malais, Iais, Accenis, Mindanais, Molucensibus, ac Iaponibus apostolico sanè spiritu, & virtute Euangelicæ lucis fulgorem induxit, & salutem annuntiauit. Ultra quas prouincias ad orientem solem nihil reliquum orbis terrarum habet.

Nuntius tamen ille hinc discessit apostolicus, à Paulo III. Pontifice Summo missus, vt illis gentibus salutem nuntiaret: & Apostolus inde revertitur. hoc enim nomen apostolicis factis primùm in Lusitania obtinuit; deinde in India, Iaponia, Sina, & reliquis Orientis prouincijs conseruauit: communenim omnium consensu non nisi Apostolus nominatur. Meritoque tam honorifica appellatione dignus censetur, qui apostolico sanè spiritu in tot prouincijs Euangeliū prædicauit; ita Domino cooperante, & sermonem Serui sui confirmante sequentibus signis, vt multa centena hominum millia doctrina, & miraculis Apostolorum miraculis simillimis, ab idolorum sequituritate a veram libertatem filiorum Dei traduxerit, in fide insti

3

instituerit , & propria manu baptizauerit ; inter quos Reges , ac Principes non pauci numerantur . Quod Apostoli nomen , ab hominibus Seruo suo tributum insigni miraculo Deus confirmasse videtur : cum illi non solum miraculorum , sed etiam linguarum dona concesserit ; quibus olim Apostolos Hierosolymis ad prædicationem Euangeliū ar- mavit .

Apostolus igitur ad hanc Sanctam Sedem reuertitur , qui Apostolicus Nuntius ab illa missus est , ut fructū afferret : & fructus eius manet ; quem tu Summe Sacerdos benedicas , & Deo offeras . illius enim fructus sunt tot millia hominum Catholicæ Ecclesiæ aggregata ; tot illustrium virorū victoriæ , qui in illis prouincijs , in quibus Euangelium prædicauit , pro fide tuenda sanguinem profuderunt , hodiisque profundunt ; constantia , & patientia , qua innumeri confessores inter acerbissimas persecutiones fidem tuentur : illius etiam fructus est nomen , & fama , quam apostolicæ sanctitatis vbique obtinuit , & desideria totius Ecclesiæ de illius Canonizatione . nulla etiam natio est in orbe Christiano , quæ Xauerium eximiè sanctū non prædicet , cupiatque plenos illi Beatorum honores ab hac Sancta Sede pro tantis meritis tandem decerni .

Hæc igitur celebris fama, communisque Ecclesiæ vox, ac desiderium, Pauli V. fel. rec. animum inclinarunt, ut ad preces totius Societatis Iesu, illiusque Præpositi Generalis in ordinem ad Canonizationem de vita, & sanctitate huius heroicis viri, iuxta sacros Canones inquire iussent: propterèaque fabricatis processibus de iure, ac stylo necessarijs, illisque mature per plures annos discussis, hodie in eo statu causa versatur, ut legitimè instruenda videatur. & iussu S. V. coram amplissimo Sacro Senatu illius statum relatus, breuitati consulendo, tripartito ordine illum explicabo.

Primo, vitam, actiones heroicas, virtutes huius Serui Dei proponam.

Secundo, res in huiusmodi causa ordinatim gestas.

Tertio, miracula insignia à Deo eius intercessione facta: ut si priora duo S. V. approbatione digna esse iudicauerit, & hanc postremam partem re censendam decreuerit: rogatis de more singulorum Reuerendissimorum D D. meorum sententijs; quid pro Dei gloria, & Catholicæ fidei exaltatione magis expediat, deliberare, & statuere possit.

DE

# DE VITA.

**N**ea Nauarræ parte, quæ trans Pyrenæum montem ad Hispaniam pertinet, natus est Seruus Dei Franciscus Xauerius, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, in castello Xauier, à nobilibus parentibus Ioanne Iasso regij eiusdem provinciæ consilij præside, & Maria Azpilcueta Xauerij oppidi, & aliorum circa locorum dominis; à quibus piè educatus, & Christianæ disciplinæ rudimentis diligenter instructus, ubi ætas adoleuit, Lutetiâ Parisiorum missus est; vt in celebri illa Academia litterarum studijs animum excoleret. Cumque de eo domum reuocando pater cogitaret, Maria Magdalena Francisci soror, quæ Gandiæiscalceatarum Virginum magna sanctitatis fama Monasterium regebat, de patris consilio, ac fratris futura gloria diuinitus edocta, ad patrem scripsit: Parisijs Franciscum omni ope foueret, vt in studijs pergeret, etiam si opus esset domesticum censum in ea re exhaurire: quia nimirum electus à Deo noui orbis Apostolus erat.

Parisijs ergo amicitiam contraxit Franciscus cū Ignatio Loyola Societatis Iesu postea parente, & fundatore; qui eum ad diuinam gloriam pro-

procurandam socium à Deo multis obtinuit pre-  
cibus, & lacrymis: spiritualibusque exercitationi-  
bus instruxit. Quibus ille tātum profecit; vt Eu-  
angelicæ perfectionis amore incensus, sæculi ho-  
noribus, ac diuinijs contemptis, durum, ac vile vi-  
tæ genus eodem B. Ignatio duce animosè aggref-  
sus sit, & constanter prosecutus. Vičtum emen-  
dicando quærebat; orationi, & diuinis rebus va-  
cabat semper; corpus ieunijs, alijsque pœnis af-  
fligebat.

Egressus Parisijs in Italiam venit; & dum pere-  
grinandi in Palæstinam tempestatem expectat cū  
focijs, vt Turcarum conuersioni ibi incumberent,  
cuius rei voto se astrinxerant: Venetijs, Bononiæ,  
alijsque vrbibus præclaro sanctitatis exemplo, &  
spiritus ardore, concionando, alijsque pietatis, &  
charitatis officijs proximorum saluti indefesso in-  
cubuit studio. Venetijs ad titulum paupertatis sa-  
cerdos creatus, magno humilitatis, & charitatis  
exemplo ægrotis in hospitali domo inferuiuit, illis  
familiariis assistens, quorum aspectum propter  
insanabiles morbos, ac vulnera reliqui ferre non  
poterant. & vt gloriosiorem de se victoriam re-  
portaret, sæpe aquam hausit, qua illorum vulnera  
lauerauit.

Sublata igitur nauigandi eo anno spe Romam  
cum

9

cum alijs socijs venit, quemadmodum inter omnes conuenerat; vt se Summo Pontifici sisterent, offerrētque in quascumque vellet prouincias amādere ad proximorum salutem procurandam; vitamque hīc spiritualibus exercitationibus, ac laboribus pro diuina gloria ditissimam, cæterum pauperimam, & asperam dum agerent, iactis primis Societatis Iesu fundamentis, Ioannes Lusitanæ Rex, Orientalis Indiæ conuersioni maximè intentus, à Paulo Papa III. suppliciter petijt, vt ex Ignatii sociis, quos sanctitatis, & doctrinæ fama ad eam expeditionem aptissimos iudicabat, aliquos sibi mitteret, qui Euangelium vastissimis illis in prouincijs promulgarent.

In quam rem Ignatius, cui Summus Pontifex negotium commiserat, Franciscum nominauit: qui Apostolici Nuntij dignitate, ac potestate à Pontifice instructus, Indiæ Apostolus iuxta sororis vaticiniū à Deo electus, sine mora proficiscitur: eaque sanctitatis, & Apostolici ardoris signa exhibuit in Lusitania, vt communi omnium voce Apostolus dictus sit. quod nomen non solum ipse dum vixit, & post obitum obtinuit; verū in illius memoriam, ac venerationem, quæ Lusitanum imperium per Europam, Africam, Asiam, & nouum patet orbem, omnes de Societate Iesu

Apostoli nominantur. tantum enim fidelis Dei seruus apostolicis factis, & sanctitate promeruit, ut non solum sibi gloriosum nomen, sed suis etiam comparauerit.

Ex Lusitania in Indiam soluit : nec ullis regij Praetoris precibus adduci vñquam potuit, vt viati ci nomine aliquid acciperet præter vilem centonem. Mendicando victum quærebat in naui: in publico dormiebat, nautico fune pro lecto vtens: ægrotis omni ope semper præsto erat; illis cibos, si indigerent, non solum à ditionibus procurabat, sed propria etiam manu, & industria parabat, ac diuidebat, non veritus etiam illorum vestes lauare, aut aliquod officij genus, quamuis vilissimum, illis exhibere; in quibus prudens Christi seruus ipsum Christum semper agnouit, & veneratus est. Ut sacramenta illis ministraret, periclitantibus adesset, & mœrentes solaretur, totas noctes vigilabat indefessus, diebus in summo labore, & oratione transactis. vnde aliqui dicere soliti sunt, Francisci delicias esse præter orationem, ægrotis inseruire. Quod viuendi institutum non solum in hac, sed in omnibus nauigationibus, in quibus deinceps magnam vitæ partem posuit, constantissimè retinuit. Nec solum in mari eius charitas ita in pauperes, & ægrotos cluxit, sed dum in urbibus mora-

moraretur, nihil ab hoc instituto vñquam remisit. Quin omnibus omnia factus, vt Christo omnes lucrifaceret, reliquos homines, qui vel propter pinguiorem fortunam, vel propter valetudinem ea opera non indigebant, alijs non minoribus officijs prosecutus semper est; nullique vñquam labori pepercit, quo proximorum saluti prodesse posset.

Indiam vt attigit post tām longam nauigationem, quæ annum tenuit, curando corpori nullū tempus dedit; sed ignem, quem in illas prouincias mittere venerat, statim cœpit spargere. Pueros, ac rudem plebem per vrbum tintinnabulo vocabat, cogebatque in aliquam Ecclesiam, in qua omnes doctrinam Christianam edocebat, ea spiritus efficacia, vt altissimè in omnium corda penetraret, veluti doctrina ipsa Apostolorum. Orationes per plateas, ac domos vt decantarent, omnibus persuasit, & in domibus, suis familiaribus eas traderent. Qui mos ab eo inductus, hodie in India, magna Dei gloria, perseuerat.

Adultos ad confessionem, ac pœnitentiam peccatorum, Christianæque vitæ sanctitatem omnibus officijs inuitabat. ethnicos ab idolorum servitute ad verā filiorū Deilibertatē indefesso studio,

.12.

& per aperta vitæ discrimina vocare nusquam de-  
stitut, in ignotas, & abditas penetrans prouincias,  
nudis sæpe pedibus, laceris vestibus, & mendicis.  
Qua in re ita serui sui conatibus Deus adfuit, claris-  
simis, & Apostolorum similibus miraculis sermo-  
nem illius ubique confirmans, & interius auditio-  
rum corda mouens: ut multa centena hominum  
millia ad fidem conuerterit, & baptizauerit, mul-  
tos vitiorum cœno pertinaciter immersos, mag-  
nis ad id susceptis peregrinationibus, nauigationi-  
bus, & corporis afflictionibus, extraxerit.

Multa sunt Regna, Prouinciæ, & Insulæ, per  
quas Cæli, ac Romanæ Sedis Nuntius verbum  
Dei seminauit. Tandemque dum aditum Euan-  
gelio quærerit in vastissimum Sinarum imperium,  
laboribus supra humanas vires pro Dei gloria fra-  
ctus, & cælesti Christi videndi ardore extenuatus,  
in Sanciano deserta insula ad patriam, & nuptias  
Agni euocatus fidelis seruus, in gaudium Domini  
introiuit.

## DE VIRTUTIBVS



POSTOLICI huius viri clarissimarum  
virtutum insignibus excellens sanctitas  
per RR. PP. Rotæ Auditores firmata,  
& per Sacram Rituum Congregationem legitimè  
com-

comprobata , aperte ex dicendis manifestatur.

### D E F I D E .

**F**ides in excellenti gradu in eo floruit ; quam nō solum per Sacramentorum deuotam susceptionem , & indefessam ministrationem professus est : sed heroicis etiam operibus , susceptis ad eam prædicandam per barbaras , & ignotas prouincias , ac maria magnis peregrinationibus & nauigationibus . per aperta vitæ pericula , & sine ullo humanae opis auxilio ; exprimens in se ipso Euangelicæ doctrinæ , quam prædicabat , puritatem , & sanctitatem . Attulitque eius fides in millia millium per vastas illas prouincias propagata ; & allatura in posterū est fructum benedictionis in horrea Domini . Ex quibus rebus ea virtus eminenter in illo clarius patet .

### D E S P E .

**F**irmissimam habuisse spem planum est , cum in eo omnia illa abundanter concurrisse probentur , quæ cum tali spe indissolubili nexu sociantur , nempè Despectus temporalium rerum , voluntaria ærumnarum Perpessio , Aggressio difficultum , Securitas in periculis , Gaudium in aduersis . Nam Despectus temporalium apparet , quòd spretis mū-

danis honoribus, diuitijs, feudalibus castrorum  
 successionibus, dignitatibus, & commodis hu-  
 milē vitam, religiosamque paupertatem sub obe-  
 dientia in viridi ætate est amplexus. Quoad vo-  
 luntariam ærumnarum perpetuationem; euidentis-  
 simè constat illa: quia cunctis reiectis commodis,  
 ærumnas plurimas, maximosque labores propter  
 Christum voluntariè suscepit, vt inferius suo lo-  
 co designabitur: ita vt quanto maiores illius fue-  
 runt labores, & grauiores ærumnæ, tanto etiam  
 in eo feruentiorem spem fuisse affirmandum sit.  
 Quoad Aggressionem difficultum, illam docent  
 plurima ardua, difficultia, & humanas vires pror-  
 fus excedentia, quæ toto vitæ cursu perfecisse pro-  
 batur; inter quæ vnum tantum, ne longior sim,  
 narrandum cœsui. videlicet admirabile illud: quòd,  
 cùm magnis itineribus per montium cacumina  
 numerosus Badagarum exercitus in Regnum Tra-  
 uancoridis, atque Promontorium Comorini fu-  
 rens excurreret in ruinam Christianorum, quos  
 ipse baptizauerat; Xauerius solus inuictæ in Deum  
 fiduciæ clypeo tectus, obuiam barbaris processit,  
 militesque seuerè increpauit. Stetit illico exerci-  
 tus immobili vestigio, nec progredi ulterius po-  
 tuit. quin etiam ducib' pergere volentib' respôde-  
 bant

bant milites, progredi se nequaquam posse, & cernere è regione astantem cum Xauerio virum quendam magnum, & maiestate terribilē, nigra veste indutum, qui eos terrebat: neque ardorem ex vultu atque oculis emicantem ferre se diutius posse. Quod cum ipsi etiam duces experientur, retrocessit totus exercitus, atque ab incepto destitit; victorque Xauerius Christianos, quos Christo pepererat, à cæde, & rapinis liberauit.

Aggressionem difficultum ostendunt etiam cum admiratione tot peregrinationes suscepτæ ad infideles populos, incognitos, & barbaros cum aperto vitæ periculo, solo studio diuinæ gloriæ propagandæ. Securitatem in periculis in illo flouruisse certissimum est, cùm probetur sine cura fuisse in medijs curis, & sæpius sine metu fuisse imminente naufragio, securum ingruentibus hostibus, securum in infirmationibus ipsis: ita ut firma spes in Deo, quæ in illo vigebat, certam securitatem in periculis ei præstaret non secus, quam anchora nau in fluctibus præstat; & in Domino confidens nihil timeret, possetque cum Dauide canere: *Si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo.*

Postremo quoad gaudiū in aduersis, illud eminenter probat cōtinua hilaritas animi, promptaque volun-

voluntas, quibus non solum sine mœrore, sed cū Apostolo ad Rom 5. glorians in spe filiorum Dei, tot labores, & ærumnas, ac piè viuens in hoc sæculo, exspectans beatam spem, & aduentum magni Dei, qui seruum, quem vigilantem, & laborantem cum gaudio inuenerit, ad gaudium vocat æternum.

### CHARITAS.

**C**haritatem; virtutum præstantissimam, Seruum istum Dei habuisse in eminenti gradu tam erga Deum, quam erga proximum, euidenter probatum est.

### DE CHARITATE IN DEVM.

**N**am quoad Deum, Charitatem illius ostendit exacta obseruantia mandatorum, ipsius etiam Dei, & Domini nostri Iesu Christi approbatione, qui dixit Ioan. 15. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Quam exactè verò fidelis iste seruus Domini mandata seruauerit, colligitur ex puritate conscientiæ, ex assidua meditatione diuinæ legis, ex horrore cuiusque etiam leuissimæ transgressionis, ex studio quod adhibebat, vt ab alijs diuina præcepta seruarentur, ex voluntaria paupertate, castitate, & obedientia

dientia : in quibus tantum excelluit, ut non solum  
is, qui ex aduerso est, nihil habens de illo dicere,  
obmutesceret ; sed omnium lingua, ac vocibus,  
tam à Christianis, quam ab idololatris non nisi  
Sanctus communiter diceretur. quæ fama non ni-  
si exactissima diuinæ legis obseruatione colligi po-  
test.

Probant eandem charitatem frequentia, & fa-  
miliaria colloquia, quæ longa, & quam assidue cū  
Deo habebat. in quibus Dei amore taliter incen-  
debat, ut sæpe vultu inflammato, oculis ad cœ-  
lum affixis, diuinitus à terra eleuaretur : quasi in  
cœlum, ubi erat illius thesaurus, & propterea cor,  
etiam corpus raperetur. & sæpè non valens resistere  
abundantiæ dulcedinis diuini amoris, clamaue-  
rit : SATIS EST DOMINE, SATIS EST.

Ostenditur eadem Charitas per extinctionem  
timoris in subeundis periculis, & arduis operi-  
bus aggrediendis amore Dei. nam perfecta Charita-  
tas foras mittit timorem. ille verò tantum absuit à  
timore, ut propter Deum non timuerit naufragi-  
um, peregrinationes per inuia, & deserta loca nō  
formidauerit, nec feros ethnicorum mores expa-  
uerit; quamuis ab omnibus uno consensu exitium  
sibi imminere denuntiaretur. Nec minus elucet  
eius eximia in Deum Charitas ex contemptu re-

rum humanarum, & mortis; qui in tota huius Serui Dei vita ita elucet, ut verè cum Apostolo posset dicere: *Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an famae? an nuditas? an periculum, &c. in his omnibus superamus propterea, qui diligit nos.*

Nec minus eandem testabatur Charitatem, continuò de Deo meditando, dulces de illo sermones habendo, cunctos ad illius amorem hor-tando. iaculatorias orationes ex inflammato pe-store etiam in medijs turbis emittebat tanta dul-cedine; ut audientes ad Dei amorem accenderet: quin & dormiens in has voces frequenter erum-pebat. *MILES, VLCIS IESV: non solum in vigilia, sed in somno, IESVM in ore, & corde ha-bebat.* quod ardentissimæ charitatis signum est clarissimum.

## DE CHARITATE IN PROXIMVM.

**C**haritas verò in proximum feruentissima in eo probatur non solum ex præmissis de Charitate erga Deum: sed etiam ex pijs operibus, in quibus se continuò exercuit, seruiendo ægrotis hospitalium locorum, illis cibum proprijs manibus ministrando, sordes illorum purgando, lectu-los versando, & sternendo. sinu amplexueque fo-uebat

uebat quantumuis vlcerosos , & tabidos ; cum il-  
lis crebrò pernoctabat ; extremum agentibus spi-  
ritum assistebat ; mortuos abluebat , & sepulturæ  
tradebat ; omniaque alia quantumuis vilia seruitia,  
& charitatis officia eisdem præstabat indefessus  
Dei Seruus , omnibus omnia factus.

Nec minus eadem Charitas in proximos col-  
ligitur ex beneficentia , quæ maximè eluxit in pau-  
peres , illis non solum quæ habebat benignè diui-  
dendo : sed etiam ab alijs , vt illis daret , sæpiissimè  
ostiatim postulando : omnia in egenos , & desola-  
tos distribuendo , tanto amoris sensu , & voluptate ;  
vt non solum Pater pauperum communiter dice-  
retur . sed etiam illius delicias pauperes esse , & ora-  
tiohem permulti affirmauerint . Eximia pietate  
fuit erga carceratos . illos crebrò visitabat , verbis  
consolabatur , cibo potuque reficiebat , spirituali  
alimonia confirmabat , causamque illorum , quan-  
tum modestè poterat , agebat . idque tam sedulo ,  
vt sæpiissimè domum rediret post occasum solis ;  
quin tam longa sentiret ieunia , cuius potissimus  
cibus erat Christi voluntatem facere .

Ardentem etiam Charitatem in proximos  
probauit per tantum tempus pueros Christianæ  
fideielementa docendo ; rudibus adultis Christia-  
nam legem vberius explicando ; peccatores omni-  
conatu ad officium reuocando ; infidelibus

discussis errorum tenebris Euangelicam lucem  
aperiendo; vehementissimo zelo animarum, quo  
semper flagrasse ostendunt satis, quæ hactenus di-  
ximus, & alia charitatis officia; quibus nil aliud  
quærebat, præter animarum salutem; quas ita di-  
ligebat, ut sanguinem pro illis dare paratum se esse  
ostenderet ipsis periculis, & laboribus, quos intrep-  
idus ob illarum salutem aggrediebatur, armatus  
Domini exemplo, qui *Prior dilexit nos, & lauit*  
*nos à peccatis sanguine suo.*

### DE ORANDI STUDIO.

**H**abuit hic Seruus Dei eminenter orandi stu-  
dium, quod charitatem indiuiduè comita-  
tur: cum nemo amet, qui non cupiat cum eo esse;  
& agere, quem amat; cumque per orationem cum  
Deo simus, & agamus. Excelluisse igitur illum  
tām in vocali, quām in mentali oratione proba-  
tur, non solum ex frequenti assiduitate, sed eti-  
am ex feruēti efficacia, & delectatione, quibus ora-  
re solitum fuisse constat. Tantum enim ei cordi-  
fuit assidua frequentia orandi; ut nullæ difficulta-  
tes, nullæ occupationes, nulla negotia quamvis  
ardua, nullumque tempus illum ab ea retrahere  
possent, vbi cunque locorum esset. quòd si aliquā-  
do solitum, & præfinitum tempus orandi, & me-

ditandi propter occupationes , quas Ecclesiarum  
sollicitudo , proximorum amor ingerebant , de-  
fluxisset ; aliud pro illo reponebat : & cum aliter  
non posset , illud nocturnæ quieti subtrahebat ;  
noctes integras subinde orationi dans , vel maio-  
rem illarum partem . Sæpiusque obseruatum fuit ,  
post graues , & multiplices diurnos labores à me-  
dia nocte , usque ad lucem orasse , Christi exem-  
plum secutum , qui pernoctabat in oratione Dei ;  
immo in medijs etiam ipsis tempestatibus nihil  
commotus animo orationem continuabat . De  
nocte surgens in hortis domorum Societatis de-  
prehensus fuit sæpe ; ubi libero , & fulgenti cælo  
fruens totus in contemplationem diuinæ pulchri-  
tudinis rapiebatur : & ut diutius hoc potiretur bo-  
no , bihas tantum , vel ad summum ternas horas  
quieti dabat ; ut reliquum temporis meditando ,  
orandoque consumeret .

Feruens autem efficacia cum delectatione in  
orando satis demonstratur , tam ex prolixitate orá-  
di per integras noctes , ut supra ; quam ex illius ex-  
terna facie , ex qua in ipso actu ardor oratis ita aper-  
tè emicabat ; ut totus cœlesti quodam igne exarde-  
sceret , ac in præsentes quoque flammis pietatis  
emitteret ; qui illius aspectu ad pietatem , & Dei  
amorem accendebantur . Illam etiā probat ecsta-

sis, quam patiebatur orans, & missam celebrans; ita ut plane à sensibus abstraheretur, nec ministrū vestem identidem succutientem aduerteret, nec ad se rediret nisi post horam. Orando talibus affuebat gaudijs, ut vix illis ferendis mortale pectus sufficeret: & ob id auditus sāpe fuit dum secreto oraret dicens: *Non plus Domine; satis est Domine;* & similia, de quibus iam diximus.

### D E H V M I L I T A T E.

**H**VMilitatis dono, Sanctitatis fundamento, amplissimè dotatum fuisse ostēditur: cum in interna, & externa mirificè excelluerit.

Ac primo demississimè de se ipso sentiebat, se vilissimum omnium, & peccatorem maximum reputabat; omnibus inferiorem se esse affirmabat; & nihil erat tam vile, & abiectum, quo se dignum non putaret; nihil honorificum, quo se indignum non iudicaret; ita ut nulli præesse vellet, sed omnibus subesse cuperet, omnesque propterea ut superiores reuereretur.

Secundo eandem probauit humilitatem honorifica quæque penitus spernendo, ad suas laudes, non secus ac alij ad probra, erubescens. si quid esset, vnde laus ipsi aliqua posset peruenire, ut in faciendis miraculis, studiose id factis, & verbis

verbis cælabat , & sociorum, aliorumque meritis ,  
& intercessionibus adscribebat.

Auctoritatem amplissimam Legati Apostolici ,  
qua instructus in Indiam missus fuerat , non solum  
non iactauit : sed data opera texit , quasi gladium  
in vagina : adeò ut per decem annos nemo illum  
Nuntium Apostolicum sciuerit , præter Episcopū  
Goanum : nec nisi semel , vltimo quasi remedio ad  
Dei gloriam procurandam , ea potestate usus est ,  
re prius cum Episcopo Goano communicata , & il-  
lius permitta arbitrio .

Eadem humilitas ostenditur ex propria sui ab-  
iectione : nam Christum imitatus , cum diues esset ,  
omnium egenus fieri voluit ; & dum lautè ex suo  
posset , ex alieno precariò vicitare maluit , abie-  
ctissimo vestitu semper usus . Patet etiam ex quo-  
tidianis exercitijs , & actionibus , quibus sollicitam  
operam præstítit tam in Indica nauigatione , quam  
in domibus hospitalium Indiae , viliora quæque  
ministeria , vt iam dictum est , hilariter & sponte  
eligendo : ex humili reuerentia ostenditur ; qua se-  
per veneratus est Episcopos , Sacerdotes , & supe-  
riores quoscumque , adeo ut , cum B. Ignatio suo  
superiori scriberet , non nisi genibus flexis scriberet  
reuerentiæ causa . Multaque sunt alia , ex quib⁹ planis.  
simè colligitur , Christi vestigia Xaueriū fuisse se-  
cutū , qui de se dixit : *Mitis fū, & humiliis corde.*

## DE PAUPERTATE.

**P**Aupertatem Euangelicam, quam voulit, perfectissimè ab illo seruatam fuisse demonstrat ratio vitæ, quam semper seruauit in viðtu, vestitu, supellecili, itineribus, habitatione. Viðtu namque fuit parcissimi; non eo solum, vt corpus affligeret; sed etiam, vt voto paupertatis satisfaceret; vtque verum pauperem ageret, quodcumque sibi ab alijs vltro subministrabatur, & ea quæ solitus erat ipse per se mendicare, alijs pauperibus distribuebat, contentus ipse quolibet vili cibo, & pane obuio: vt latius dicemus, dum de pœnitentia agetur.

In vestitu, verò non minus tenax paupertatis apparuit. erat enim plerumque attritus, resartus, & assumentis varijs intersectus; in summa optimarum vestium copia, quæ certatim illi ab omnibus offerebantur.

In supellecili præterea eius paupertas valde resplenduit. Eius in cubiculo nihil aliud elucebat, nisi ipsa paupertas: nudi namque erant parietes: lectulus potius ad arcendū somnum aptus; quam ad conciliandum, vt pote sine culcitra, sine lodi cibus, vilibus tantum stragulis, duro ceruicali adiuncto: & præter ista non aliud quidpiam erat in cubiculo, quam pauci libri sibi, vel alijs necessarij.

In

In itineribus conficiendis, quæ tam longa, tam multa, tam difficultia fuere, tot longinquis peregrinationibus, in ultimas terras suscepit, studium paupertatis suum maximè probauit; nullo alio vectore, quam baculo pro equo, & vehiculo usus est, pedes semper incedendo, & non raro sine calceis, sine alio tegumento plantarum. Viaticum non in pera, & sacculo, sed in Dei benignitate, & aliena pietate repositum habebat; nullum secum ferre solitus; nisi ubi per deserta, & inuia loca esset incedendum; & tunc nil aliud parabat quam cibum castrensem & castigatissimum. Et in toto longo, ac impedito itinere Meacensi assa tantum vicititauit oriza. Nec viatoriæ vestes luculentiores erant, quam cibus. adeò pannosus se in viam dabat, ut aliquando pueris ridiculo esset. E Lusitania in Indiam soluens, precario semper in nauic vicititauit: nec ab illo instituto precibus Regij Praetoris ullatenus abduci passus est. Idem institutum in nauigationibus reliquis seruauit: nunquam alio diuertere solebat; quam in publicas domos hospitalium: ut quemadmodum precario vescebatur: ita mendicato hospitaretur. hoc in Italia, hoc in Lusitania, hoc in India semper præsttit.

## DE MORTIFICATIONE, ac Pœnitentia.

**M**ortificationis studium , & opera pœnitentiæ in eo talia fuisse constat; qualia ad insignem , & excellentem requiruntur sanctitatem.

Primo , eximia fuit in eo abstinentia cibi; cum non solum carnis , & vini; sed etiam panis triticei usum procul à se abdicauerit. In priuata domo , & quoties apud alios non vesceretur; de industria insulsis , & vilibus utebatur cibis , ac parcissime.

Secundo , manifestè colligitur ex maceratione carnis. corpus enim frequentissimè flagellis cædebat , quandoque æneo filo contextis , quæ etiam ferreis punctis , & stellulis de industria exasperabat; ita ut sanguinē copiosè profunderet. Somno non nisi breuissimo corpus recreabat , incommodè vel humi , vel fune nautico iacens , vel lectulo vilibus stragulis , ut supra dictum est , parato : reliquum noctis orationi , & contéplationi dabat , vel ægrotis visendis. Quin extra solitum suum longe plura , & maiora pœnitentiæ opera exercebat. Sæpius namque per plures dies ab omni cibo abstinuit: & aliquando à Dominica passionis usque ad Sabbathum maioris hebdomadæ: sæpe pet biduum , vel triduum ; quandoque per quatuor totos dies , præsertim in principio suæ conuersionis. quando etiā , ut doloris sensu magis ctuciaretur; funiculis sibi adeo

adèò arctè coxendices, & lacertos constrinxit; vt, cum plures dies eo in cruciatu iter agendo perseuerasset, animo repente destitutus prae doloris magnitudine in media via conciderit: vinculis in carnem tam altè depresso, vt medici vulnus insanabile iudicauerint: actumque de eius vita esset: nisi miraculose vincula rupta fuissent, sine ope artis humanae.

## DE FORTITUDINE,

ac Magnanimitate-

**F**ortitudine, Magnanimitate, & Patientia in laboribus tolerandis, & superandis heroicè, & insigniter à Deo dotatus fuit. mundum vicit sui ipsius abnegatione: Christum secutus, honores, & dignitates sibi oblatas spreuit constanter: vitam religiosam, vilem, & pauperem elegit, & fortiter retinuit: eluxitque sæpe eius animi fortitudo, quod plagis, & pustulis pauperum mendicorum lauatis, aquam ipsam, qua illas abluerat, non semel biberit.

Nec solum tam gloria de se ipso victoria eius emicuit invictus animus: sed etiam in aggredientibus rebus arduis propter Dei amore, & in superadis difficultatibus. Loginquis regiones, ac prouincias

D 2 adiit,

adijt, vitæ spreto periculo: nec barbarum, & effe-  
rum in hospites incolarum ingenium timuit ad  
Christianam mansuetudinem inuitare, à quibus  
sibi mortem paratam esse audiebat. Ab anno mil-  
lesimo quingentesimo quadragesimo primo, quo  
in Indiam nauigauit, usque ad annum millesimum  
quingentesimum quinquagesimum secundum,  
quo diem clausit extremum, multas diuersarum  
nationum, & linguarum prouincias prædicandi  
Euangelij causa peragrauit; contractis etiam ob af-  
fidiuos labores morbis grauissimis: saepius naufra-  
gium passus est: aestus, frigoris, nuditatis, vigilia-  
rum, sitis, famis incommoda diutissime sustinuit.  
nudis pedibus inter vepres, & sentes longissima iti-  
nera perfecit. contumelijs, probris, irrisioibus,  
& omnis generis illusionibus, & iniurijs appetitus:  
verbera insuper, lapidationes, ac sputa passus, om-  
nia semper non solum æquo animo, sed sibi plau-  
dente, illius vere discipulus, qui Apostolis dixit.  
**Cum vos oderint homines, & cum separauerint**  
**vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen ve-**  
**strum tanquam malum propter filium hominis:**  
**gaudete, & exultate:** Deoque propterea in om-  
nibus gratias hilaris, & humilis agebat; & pro illu-  
soribus, ac persecutoribus deprecabatur.

29

## DE FAMA SANCTITATIS NOMI- NE APOSTOLI.

**P**ropter hæc non immerito, Beatissime Pater, non solum vastissimas Orientis prouincias, sed Occidentis etiā eximia sanctitatis fama viuus, & mortuus compleuit. vnde non alio nomine etiam viuus communiter vocabatur, nisi Sanctus, tam à Christianis, quam ab infidelibus: qui omnes in angustijs illum etiam absentem inuocabant; illi ægros, ac mortuos offerebant, vt sanitatem, & vitam restitueret: & quicquid illius habere poterant, religiose asseruabant.

Mortuus, omnium prædicatione, est celebatus. Corpus eius Malacæ, & Goæ eximia veneratione exceptum est tanto populorum concursu; vt, cum primum Goæ expositum fuit, per multos dies cancellis, lictoribus, armato milite concursus fuerit compescendus. qui vsque ad hanc diem maximus est, confluentibus ex tota India multis cuiuscunque conditionis, sexus, & ætatis ad eius sepulcrum: vt testantur vota soluta, tabellæ appensa, & peregrinationes solempnes. vestes, superpellicium, & alia, quibus usus est, pro reliquijs religiosè venerantur omnes; multaque propterea, ac magna à Deo beneficia comparant. loca etiam, quibus ille aliquando diuersatus est, piè ab omni-

bus religiosa frequentia coluntur.

Imagini ipsius tam publicè, quām priuatim  
deuotè à populis visitantur, & coluntur. & in pro-  
montorio Comorini in Ecclesia Cottatæ illius  
imago in tanta veneratione est; vt ethnici, & fide-  
les propterea ad ecclesiam illam religiosè peregrin-  
entur; nec alio nomine illam appellant nisi ecclæ-  
siam magni Patris; donaria illi offerunt, vota sol-  
uunt ac beneficia à Deo illius intercessione postu-  
lant, & non vulgaria singulis diebus obtinent.  
Tanta veneratione Christiani, & ethnici oræ Tra-  
uacoridis propè promontorium Comorinum co-  
lunt, & venerantur Xauerium: vt, cum in interio-  
rib. locis dictæ oræ duodecim ecclesiæ fuerint de-  
structæ, & numquam deinceps reuouatae: solum  
ecclesia, vbi est posita imago illius, huc usque in-  
tacta persistat.

Accedit illustre testimonium præcipuorum  
ætatis nostræ scriptorum de insignibus virtutibus  
huius eximij viri, & de opinione sanctitatis, quam  
habet in toto orbe Christiano. quadraginta sunt,  
fermè omni exceptione maiores; vt pote Cardina-  
les, Episcopi, Sacerdotes, Religiosi, Iurisconsulti,  
aut alia prærogatiua insignes; qui singulare testi-  
moniū de eius sanctitate protulerūt; omnes ordina-  
tim nominati in iā dicta relatione Auditorū Rotæ.

Con-

Concurrit vehementis desiderium, & sumnia expectatio totius vbiique Ecclesiae ob continuatam persecuerantiam prædictæ opinionis sanctitatis, quæ non solum eius morte latius propagata est; sed in dies magis propagatur.

Postremò superadditur honestissimus titulus Apostoli; quem summo consensu Hispaniarum populi, & Indiae illi detulerunt: apud quos non alio appellatur nomine, nisi Apostolus. quod non solù mirabili præsigio Mariæ Magdalenaë eiusdem Xauerij sororis natu maioris (de quo supra egimus) verum insigni miraculo Christus illi confirmasse videtur: cum illum linguarum dono exornauit, quo Apostolos ad prædicationem Euangelij instruxit.

## DE DONO LINGVARVM.

**D**iversarum namque gentium linguis, quas nō didicerat, cùm eas Euangelij causa adiret, ita eleganter, & expeditè loquebatur, ac si ibi natus, & educatus esset: & contigit non raro, ut eum concionantem diuersarum nationum homines, sua quisque lingua planè, & politè loquentem audierit. id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non solum auxit venerationem Xauerij; sed multos etiam ad fidem

fidem conuertit. Voluit enim Deus, qui illum ad prædicationem Euangelij in illis prouincijs segregarat: vt, sicut in cæteris apostolicum spiritum acceperat, sic etiam dono linguarum Apostolis similis esset: & vt non solum spiritus feroe eximio; sed etiam varijs linguis magnalia Dei vbiique loqueretur.

### DE GESTIS IN CAVSA:

**Q**VIBUS sic summatim relatis de vita, heroicis virtutibus, & actionibus huius Serui Dei Xauerij:

Ad secundam partem circa res ordinatim gestas in huiusmodi causa deueniendo iuxta præmissum ordinem, Sanctitati Vestrae exponitur; qualiter anno à Xauerij obitu sexagesimo; cum fama Sanctitatis, & miraculorum vndique in ore Christiani populi celebris esset: placuit fel. rec. Paulo Quinto ad preces Societatis Iesu committere DD. Cardinalibus Sacrae Rituum Congregationi Præfectis; vt super recognitione processuum per ordinarium Indiarum, Goæ, Coccini, Bazzaini, & Malacæ ad instantiam Ioannis Lusitanæ Regis, vt dictum est, fabricatorum; ac super fama sanctitatis, & miraculorum, ac populorum deuotione in genere inquirerent, & referrent: an talia viderentur

tur, ut ad specialem inquisitionem procedendum foret. quæ Sacra Congregatio , annuente eodem Paulo Quinto , sub die vigesima Martij anno millesimo sexcentesimo decimo deputauit bon. mem. Cardinalem Pamphilium : qui auctoritate Apostolica, ac ciuldem Sacrae Congregationis Rituum nomine per se ipsum , vel aliquem Prælatum , seu Prælatos ab ipso eligendos in Vrbe , cum notarij deputatione , prædicta omnia perageret. qui Cardinalis, electo prius Nicolao Rogeto in notarium , ad omnia prædicta absoluenda deputauit Rotæ Auditores , Horatium Lancellottum deinde Cardinalem , in cuius locum subrogatus fuit Ioannes Baptista Coccinus eiusdem Rotæ Decanus ; Franciscum Sacratum , tunc Archiepiscopum Damascenum , modo ob eius insignia in Ecclesiam merita Cardinalem ; & Io. Baptistam Pamphilium : coram quibus, exhibitis per legitimum procuratorem articulis , super generali inquisitione famæ sanctitatis , & miraculorum Xauerij , examinati fuerunt duodecim testes , cum interrogatorijs; & seruatis alijs de iure seruandis.

Mortuo Cardinali Pamphilio eadem Sacra Rituum Congregatio sub die prima Septembbris subrogauit Cardinalem Lancellottū : à quo deputato Ioanne Viseto notario in locum Nicolai iam de-

functi; productisque processibus huius causæ informatiuis, illisque fideliter interpretatis à deputato interprete, & in forma recognitis: absoluta quoque generica informatione Romæ ut supra, sumpta: eadem Congregatio referente eodē Cardinale Lancellotto decreuit, sufficienter, & abundanter constitisse de fama sanctitatis, vitæ, morum, & miraculorum, ac populorum deuotione erga Serum Dei Xauerium: proinde posse ad specialem inquisitionem procedi.

Vnde idem Paulus Quintus per speciale rescriptum commisit eisdem tribus Auditoribus; vt causam huiusmodi reassumentes, omnia acta, & processus viderent; noua iura in Curia, & extra compulsarent; nouos etiam testes interrogarent; litterasque remissoriales, & compulsoriales, prout opus esset, decernerent, & relaxarent: prout prævijs legitimè productis articulis, pro speciali inquisitione decretæ, & relaxatæ fuerunt ad Archiepiscopum Olyssiponen. ad Episcopos Pampilonen. Baionen. & Iacen. pro Ciuitate Pampilonæ; ad Archiepiscopum Goanum, seu eius Vicarium pro Ciuitate Goæ in India; ad Episcopum Coccinensem, seu eius Vicarium in India pro Ciuitate Coccini; ad Episcopū Malacensem, seu eius Vicarium pro Ciuitate Malacæ item in India.

Qui-

Quibus litteris sic expeditis, dum in partibus executioni mandantur: fuerunt hic Romæ ab eisdem tribus Auditoribus alij examinati testes super articulis in specie, ipsis prius citatis, & cum interrogatorijs, & alijs de iure requisitis.

Transmissis deinde ad urbem processibus remissorialibus, & compulsorialibus; qui vigore dictarum literarum in partibus fabricati sunt, illisq. per fidelem portitorem consignatis, ac per deputatos ab Auditoribus fideliter interpretatis, producatis, & recognitis; instante procuratore Societatis I E S V, nomine etiam Serenissimi Hispaniarum Regis, & aliorum multorum Principum, & totius Indiæ Cleri; vt ad vteriora procederetur: tres Auditores prædicti visis omnibus, & singulis processibus iam dictis, illisque mature discussis, & examinatis: in pluribus Congregationibus, singillatim singulos legitimos, & legales, testesque in illis contentos rite, & recte examinatos, ac esse in forma probanti, declararunt: & examinatis virtutibus, & actionibus per particularia dubia cum longa temporis maturitate; causa demum instruta iuxta canonicas sanctiones, de sanctitate, ac excellentia vitæ, ac miraculis constare censuerunt: suamque super præmissis relationē fecerunt eidem fel.rec.Paulo Quinto. quam relationē V.S. mēsibus

elapsis ad eandem Rituum Congregationem dif-  
cuſiendam remisit.

Nos vero, Beatisſime Pater, relatione Auditō-  
rum Rotæ accepta, & super illa pluribus habitis  
ſeffionibus, diligenter, & accurate discussis eorū-  
dem Auditorum assertionibus, & conclusionibus,  
vnanimi voto censuimus: omnes ſupradictos pro-  
cessus authenticos, & validos esse: prout etiam  
censuimus, probationes in illis processibus contē-  
tas, ſuper sanctitate, excellentia fidei, & præcla-  
ris miraculis Serui Dei Francisci Xauerij fuiffe legi-  
timas, & ſufficientes. Quæ ſi Sanctitas Veſtra talia  
effe statuat, vt ad Canonizationem ſufficere vide-  
antur: quæ ſupersunt tertio loco dicenda, de mi-  
raculis in particulaſi breuiter profequar.

## DE MIRACVLIS.

**E**x multis miraculis, quæ in processibus con-  
tinentur in vita, & post mortem à Seruo Dei  
Xauerio patrata, pauca hæc collegimus.

### DE MIRACVLIS IN VITA.

*I. Aqua maris ſalſa facto ſigno crucis efficitur  
dulcis.*

Cum Pater Franciſcus Xauerius ad Sinas con-  
tenderet in magna nauि Sanctæ Crucis, in qua  
quin-

quingenti erant vectores, cessantibus ventis tanta  
fuit malacia; ut per quatuordecim dies eodem hæ-  
rere loco nauis coacta fuerit: neque in illa maris  
vastitate ullus locus, vel insula appareret, vnde pos-  
sent auxilium petere: propterea aquæ penuria ita  
laboratum est; ut præsiti multi iam ex vectoribus  
morerentur. Adeunt igitur omnes Xauerium, &  
enixè petunt; ut tanto malo opem ferat: ille post  
longam orationem benè in primis sperare iussit de  
diuina prouidentia, eos non esse perituros certo af-  
firmans. deinde vocato nauarcho, & nautis reli-  
quisque vectoribus, iubet illos sumere aquam ex  
mari, atque dolia, vrnas, ac vasæ omnia nauis im-  
pleri, quam cum degustassent falsam repererunt.  
tunc Xauerius eleuatis in cælum oculis, magna in  
Deum fiducia, facto signo crucis aquam maris,  
quam in vasis illis collegerant, benedixit, & præ-  
cepit, ut iterum degustarent: cui obtemperantes  
aquam illam dulcissimam, & optimam repererunt.  
quo miraculo vectores Xauerium sanctum accla-  
marunt: & Mahometani aliquot, qui aderant, cū  
vxoribus fidem receperunt: aquam deinde illam,  
quæ abunde superfuit ex nauigatione, in varias  
prouincias, & vrbes Indiae distribuerunt; qua multi  
ægroti sanitatem miraculosè receperunt.

## *II. Puer mortuus ad vitam reuocatur.*

Puer quidam pestilentie febri correptus Mutano in oppido Indiae Orientalis, veste funebri, hoc est, sindone, de more illius getis obuolutus, & consutus per vigintiquatuor horas asseruatus, sepulturæ mandandus efferebatur magno parentum eiulatu. occurrit Xauerius, qui tunc in eodem oppido operam nauabat conuertendis ethnicis, & erudiendis in fide Christiana ijs, quos baptizauebat: itaque parentum orbitatem miseratus, genibus flexis, & oculis ad cælum eleuatis, Deum orauit pro pueri vita, & corpus aqua benedicta aspergit: deinde iussit funebrem vestem rescindi; & cum cadauer appareret, cruce illud signans, atque manu apprehendens, in nomine Iesu viuere iubet, & statim puer surrexit viuus; eumque sanum, & viuentem parentibus tradidit, & in memoriam, & honorem huius miraculi eo in loco crux ab incolis erecta fuit magna omnium celebritate.

### *III. Mortuus, qui per diē fuerat sepultus, suscitatur.*

Cum Seruus Dei in promontorio Comorino concionem ad populum haberet in ecclesia, in qua die præcedenti sepultus fuerat quidam defunctus: ipseque Xauerius difficultatem magnâ patetur in conuertendis ethnicis, qui aderant: orauit aliquantulum pro corum conuersione; & per

facta oratione, ut ad Christum illos adduceret iussit sepulcrum, in quo cadaver defuncti iacebat, aperiri; & populo significauit, placuisse Deo, iterū mortuum illum ad vitam reuocare, ut ipsi conuerterentur: patefacto igitur sepulcro, & rescissa veste funebri, qua defunctus erat inuolutus, apparuit cadaver. tunc verò oratione à P. Francisco pro vita illius Deo facta, statim surrexit viuus. quo viso miraculo vehemēter omnes admirati sunt, Deum laudantes, & admirantes Xauerij sanctitatem, & infideles illi, atque multi alij propter hoc miraculum Christianam fidem suscepérunt, & baptizati sunt ab eodem patre.

*IV. Dum Missam celebrat altius cubito  
à terra eleuatur.*

Dum Xauerius Teuanapatano in portu oræ Coromandellis, & alijs etiam in locis Indiæ Orientalis Missæ sacrificium celebraret: visus est ab vniuerso populo, qui aderat Missæ, altius cubito sustineri diuina vi sublimis à terra. Quam rem omnes habuerunt pro miraculo, & dono particuliari Xauerio concessò: eumque deinceps, ut virum sanctum venerati sunt; credideruntque famæ, quæ de illius sanctitate, & miraculis vulgabatur.

*V. Puer*

*V. Puer in puteo suffocatus, & mortuus  
ad vitam reuocatur.*

In ora Piscariæ Indiae Orientalis apud oppidū Combute, cum puer filius mulieris eiusdem loci indigenæ casu in puteum cecidisset; & iacens per multas horas sub aquis suffocatus esset; mater, & eius cognati mortuum inde extraxerunt; cumque eum ad sepulturam flentes deducerent, accurrit Dei seruus Xauerius ex proxima ecclesia sancti Stephani, quo venerat ad celebrandam Missam: quem cum vidisset mater pueri; eum deprecatur, ut vitam filio reddat: at ipse lacrymis matris commotus, & misertus pueri casum, propè accedens, oculis eleuatis, in genua prouolutus, pro vita pueri orat: eiusque manu apprehensa, inquit: In Nominе Iesu Christi surge; & confestim puer surrexit viuus, & illum sanum tradidit matri suæ, & cognatis. Omnes ergo, qui aderant, tanto miraculo obstupefacti, cœperunt clamare Miraculum: & gratias Deo egerunt, qui meritis, & intercessione Patris Xauerij illud operatus est: Xauerius vero præcepit eis, ne cuiquam rem gestam narrarent.

*VI. Caco visus restituitur.*

Dum Xauerius in Iaponia ethnicis fidem prædicaret, mercator quidam, quem à multis annis apud

dicaret, mercator quidam, quem à multis annis apud omnes constabat esse cæcum, ad eum accessit, petens, ut vellet sibi visum restituere, quo iam diu omnino carebat: Xauerius recitato prius super eo quodam Euangelio, fecit super eius oculos sanctissimum signum crucis; quo peracto subito, & eodem momento aperti sunt oculi eius; & coepit videre, ac se domum recepit iussu eiusdem Patris Xauerij. Sequenti verò die venit prædictus cæcus ad Ecclesiam, quærens iterum P. Xauerium oculis tamen apertis, & claris, & prostratus ad illius pedes simul cum tribus filiis maximas ei gratias egit pro tanto accepto beneficio, affirmans se melius videre, quam antea, cum nondum in illam cæcitatem incidisset: & postea deduxit uxorem, & totam suam familiam, petens à Xauerio, ut vellet eos baptizare, quemadmodum factum est: & vulgaris fama huius miraculi inter alios ethnicos, commoti sunt vehementer quamplurimi, & plusquam trecenti conuenerunt Xauerium, petentes sacrum baptismum, quos omnes ille baptizauit.

### *VII. Mendicus ulcerosus miraculoſe sanatur.*

Cum in promotorio Comorini occurreret Xauerio mendicus toro corpore ulcerosus: Pater illius plágas, & pustulas magno charitatis sensu lauit, & ut maiorem de se victoriam reportaret,

hausit aquam, qua lauerat: postea in genua prouolutus, enixè precatus est Deum pro salute dicti pauperis; qui statim fuit liberatus ab omnibus plagiis, atque ulceribus.

*VIII. Cancer marinus deperditū in mari Crucifixum Xauerio miraculose defert.*

Cum Franciscus Xauerius in Insulis Molucis ageret, atque ex Amboino ad Baranulam Insulam nauigaret: sœua tempestas exorta est: ad eamque sedandam, imaginem Crucifixi longam vno digito è collo detraxit, atque in mare immisit; dumque illam manu detinet desuper ex nauigio, forte accidit, ut ex manu dilaberetur, atque in medium mare decideret: qui casus Xauerium tantopere affixit; ut magni doloris signa dederit. Sequenti vero die ad Insulam Baranulam peruenierunt, in qua est oppidum Tamalo, quod vectores nauigij, nautæque petebant. quare nauigio ad terram applicato descendens Xauerius cum socio per ipsum littus iter faciebat, quo Tamalum perueniret: dumque mediu[m] milliare peregissent, atque à loco amissi Crucifixi multis iam milliaribus distarent: ecce tibi marinus cancer cum prædicto Crucifixo è mari erumpit in littus, quem chlarum vtrinque morsibus eleuatum, & erectum gestabat: & sic

ad

ad Xauerium festinus accurrit, atque ante ipsius conspectum stetit. at Xauerius in genua se prouolut; cancer verò expectauit, quo usque Xauerius Crucifixum ex ipsius chelis apprehenderet: quo peracto statim in mare, vnde exierat, se recepit: tum Xauerius deosculatus, & amplexatus Crucifixum, brachijs ad pectus in modum crucis porrectis, humili prostratus per semihoram in oratione stetit: idē fecit socius, qui ad latus adhærebat, gratias agens Domino I E S V Christo pro tam insigni miraculo.

### *IX. Scapha tempestate abrepta miraculose reddit ad nauem.*

Cum Xauerius ad Sinas contenderet in nauis Odoardi à Gama, sœuissima orta tempestate, ita ut omnes de sc̄ actum esse existimarent: gubernator, ne repentina procellæ vis scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam religari iussit. nauantes operam scaphæ nox oppressit; nec ita multo post abruptis retinaculis scaphā tempestas abstulit tanto impetu; vt pænè temporis momento omnium conspectum effugerit. vt verò quisque cognatos, necessariosq. in scapha habebat certatim eorum casu deplorare cœperunt. Xauerius ergo vniuersos

collacrymantes intuens , bonum eos habere animum iussit , ac prædictit fore vt ante triduum filia remearet ad matrem ; his verbis significans , scapham ad onerariam reddituram.

Postero die prima luce Xauerius læto vultu prodijt in medium , ac nauarchum rogat , vt iubeat aliquem malo consenso speculari , num scapha compareat ; & vbi renunciatum est ex malo eam non conspici ; in cubiculum se abdidit ; ibique lacrymans bonam diei partem in oratione extraxit : indè læta nuncians , ipsos non multo post scapham esse visuros , nauarchum rogat , vt vela demittat , & scapham expectet : reclamantibus cæteris , quòd frustra iam expectaretur scapha , & quòd sine manifesto periculo onerariæ expectari non posset : nauarchus , qui precibus Xauerij defatigatus , vela demitti iusserat , intermisso temporis spacio , cum scapha nec adhuc conspiceretur , & nauis iam perclitari videretur , sœiente adhuc mari , tolli properè vela imperat : insistit Xauerius rogans nautas , vt adhuc paulum expectent , certò affirmans , scaphā nullo periculo onerariæ non multo post affuturā ; cumque nautæ desperata re , ac stimulante metu nihilominus vela sustollerent : Xauerius accurrens , manuque antennis iniecta , per Christi mortem , & vulnera obsecrare institit , ne pigeret etiam num  
-103-  
morari

morari parumper. illi obtemperarunt, ipse semel  
 atque iterum; interea dum scapha expectaretur, &  
 nullibi conspiceretur, & omnes ibi sine periculo  
 se immorari non posse censerent; sublatis in cælum  
 manibus enixè orabat; nauarchum, cæterosque  
 bono animo esse iubens, interea nauis expectans  
 ingentibus agitabatur fluctibus impunè; iamque  
 per tres ferme horas dilata omnium expectatione,  
 pro desperata res erat: cum repente quidam sca-  
 pham apparere, atque aduentare proclamat: tum  
 verò lœti omnes Deo, Franciscoque gratulari cœ-  
 perunt. vt scapha in conspectu omnium fuit, con-  
 festim ad eam excipiendam nauis in obliquum sta-  
 tuitur: at illa Deo ducente rectè ad onerariam ten-  
 dit. aduentanti alacres nautæ funem de more emi-  
 nus inijcere parabant: cum Xauerius nihil fune  
 opus est, inquit, ipsa per se sponte accedet ad one-  
 rariæ latus: idque omnibus miraculo attonitis ita  
 cuenit; atque ita aptè se applicuit, vt miseri illi cō-  
 modè exciperentur: quin etiam in medijs flucti-  
 bus retinente nemine tamdiù stetit, quoad religa-  
 retur ad nauim, vt satis appareret eiusdem, cuius  
 adducta fuit precibus, eam retineri.

*X. Super urbe Tolo pluit cineribus.*

Cum Franciscus Xauerius in Molucas Insulas  
 penetrasset, & primus illas gentes ad Christum ad-

duxisset : vrbs Tolum , in qua' ad vigintiquinque hominum millia baptizauerat : suasu cuiusdam tyranni fidem Christi deseruerat ; ciuesque ecclesia destructa cruces , & sacras Sanctorum imagines per ludibrium fregerant. quam rem ægerrimè ferebat Franciscus , dolensque de iniuria Deo illata , & de pernicie illarum animarum , postquam irritas suas preces vidit ; quibus rebellium animos ad resipiscendum , quoad potuit , pertentauit : Christianos milites ad vindicandam Dei iniuriam promissione victoriae excitauit . viginti igitur Lusitani cū aliquibus Molucarum indigenis , qui omnes numerum quadringentorum explebant , expeditiōnem aduersus Tolum susceperunt , Francisco suadente , & comite , ac felicem belli exitum promittente .

Erat arx Toli in edito loco posita non minus armis , quām situ munita : accesserat hostium fraus ; nam ea parte editæ rupis , qua sola adiri poterat , stimulos ferreos supposuerant , in quos se indueret , qui propè arcem conarentur accedere . Vix Christiani ad Tolum accesserant , cum , Francisco ad Deum preces fundente , ex vicini montis vertice cum horrendo mugitu , & fragore magnum erupit incendium , & ingens cineris , ac pumicum vis ciecta : quod nunquam in ijs partibus euenisse constat ,

stat, non modo stimulos ferreos cooperuit, sed etiā arcis fastigium æquauit.

Per idem tempus terræmotus insolitus teſtorū vrbis ingentem edidit stragem; ita ut plerosque hostium pauor compulerit in fugam; cineris deinde, ac pumicum copia congesta, facilem in mœnia ascensum dedit. quare arx, oppidum, totaque regio sine vlo certamine fuit subacta: & ciues, qui tali prodigio perterriti vrbem deseruerant, & in proximas sylvas se abdiderant, ad Xauerium statim supplices accurrerunt, & ad eius pedes prostrati, delicti veniam petierunt. Xauerius igitur eosdem cum Ecclesia reconciliauit, imposita salutari pœnitentia, ut templa euersa reficerent, & suscepta semel Christi fidem in posterum sanctè, pieque colerent.

Communis omnium etiam barbarorū consensus fuit, hanc memorabilem victoriam diuina, non humana ope obtentam fuisse: & tam opportune flagrantis montis auxilium cum subita cineris, & pumicum congerie miraculosè intercessione, ac precibus Xauerij euenisse: qui diuinam opē suis orationibus conciliarat: vt cuius belli auctor extiterat; præcipiuus quoque suis orationibus esset adiutor.

**D E**

# DE MIRACVLIS

## POST MORTEM.

*I. Corpus incorruptum perseverat.*

**M**ortuo Patre Francisco Xauerio in insula Sanciani prope Sinas, eius corpus in capsula lignea, viua calce iniecta, sub terra sepelitur; ut quamprimum exesa carne, ossa possent in Indiam deportari. quatuor inde post menses effoditur, aperataque capsula, & excussa calce, prorsus integrum corpus reperitur sine vlla tabe; ac si tunc humatum esset; ita vt color viuax, caro recens, vestimenta nulla ex parte laesa essent.

Iniecta iterum calce in eadem arca Malacam defertur: ibique aperta arca integrum sicut antea inuenitur. In templum deinde Dominae nostre de monte defertur, excussaque calce in nouo loculo sepelitur: noui verò loculi breuitas coëgit eos, qui funeri operam dabant, corpus non nihil comprimere, atque inflectere: quod causæ fuit, vt ex humeris repente effluxerit sanguis.

Cum ergo ibi aliquamdiu iacuisset: nono post obitum mente, sepulcro patefacto non minus integrum ex humo, quam antea ex calce inuentum est! & velum, quo cius facies opera fuerat, propter ingestæ compressæque terræ pondus in humatione, recenti imbutum crux.

Quo

Quo moti miraculo, qui aderant, nouam curarunt arcam intus, forisque serica, & aurea veste coopertam. sic in Indiam delatum Coccini portū primū appulit, confluentibus deuotione, & admiratione ciuibus ad contuendum corpus. Inde Goam exportatum, celebrique, ac festa pompa à Prorege, & omnibus ordinibus exceptum in ecclesiam Societatis I E S V defertur: vbi affluentis populi cupiditati ut satisficeret: corpus validis cancellis munitum, per totum triduum oculis omnium exponi necesse fuit.

Et quoniam rei miraculum excedebat fidem: de mandato Proregis ab insigni medico corpus inspectum, pertentatumque fuit, & compertum incorruptum, succosum, & molle, integris, ac solidis intestinis; ex quibus per paruum vulnus infictum manabat sanguis, nullo balsami, oleiue indicio. Exacto triduo, arca prope aram maximam ad dextram in sepulcro per eos dies parato, ad tempus condita est. Postea Vicarius Generalis Episcopi Goani sede vacante, & Inquisitor generalis, aperito sepulcro, multis collucentibus facibus, pro suo munere, atque officio pertentarunt corpus iterum, ac denuo; nihilque non integrum repererunt.

## *II. Corpus eius suauissimum emittit odorem.*

Dum corpus Xauerij in insula Sanciano, vel

Malaca loculo includitur, vel ab eo extrahitur: si-  
militer dum Malacam, & exinde in Indiam nau-  
aduehitur, vel Goæ visendum exponitur, aut ibi-  
dem in capsæ visitatur, licet nullo odoramento-  
rum genere curatum esset: suauissimum tamen  
odorem ex se emittebat, ita ut omnium spiritus sus-  
citaret, & confortaret; nec poterant discernere,  
cuiusnam reitam suavis ille odor esset.

*III. Aduentu corporis Xauerij Malacæ cessat  
repente pestis.*

Cum Malacam urbem in India Orientali cele-  
berrimam, & frequentissimam sœua pestis inuasif-  
set (quod propter ciuium peccata euenturum illi  
antea discedens Xauerius prædixerat) breuique  
tempore quamplurimi paucis admodum supersti-  
tibus periſſent; necdum defœuiret lues, sed maxi-  
me in dies grislaretur: vt primùm corpus Patris  
Francisci, quod ex Sinis in Indiam afferebatur, eò  
appulit; & ex naui in urbem delatum fuit. statim ac  
subito contagiosus ille morbus omnino cessauit:  
nec ab ea die mortuus ullus, aut morbo correptus  
fuit: sed adeo tota lues extincta est; vt tam pestiferi  
morbi deinceps ne vestigium ullum superfuerit.

*IV. Ex dīgo pedis Xauerij defuncti recens  
sanguis effluit.*

Cum

Cum Goam Xauerij corpus Malaca aduenis-  
set, & in ecclesia fuisset expositum; magna que po-  
puli multitudo deuotione commota ad deosculá-  
dum illius pedes accessisset: deuota quædam mu-  
lier feroore deuotionis adducta, digitum pedis  
morsu apprehendit, & dentibus nixa est euellere  
frustulum; quod pro reliquia sibi conseruaret: ex  
quo morsu recens effluxit sanguis, ac si manaret de  
corpo viuo. Quo viso miraculo omnes, qui  
prælentes aderant, valde sunt admirati; & maximā  
inde deuotionem erga Xauerium conceperunt.

*V. Puer utroque crure, & pede siccis, & aridis  
ad sepulcrum Xauerij miracu-  
loſe sanatur.*

Puer Ventura Goæ natus in domo Dominæ  
Ioannæ Fonsecæ, quæ illum vt filium diligebat,  
habebat à natuitate vtrumque pedem, & crura  
omnino sicca, & arida; neque amplius digito craf-  
fiora: ita vt per quinquennium semper humili ma-  
nibus reptare cogeretur: nec erectum in pedes il-  
lum continere poterant, quin statim caderet. mul-  
tis remedijs frustra tentatis ad Xauerij opem  
Ioanna confugit, puerum magna fide, ac de-  
uotione illi commendans, sepulcrum illius  
cum puero per nouem dies visitaturam se  
promittens: cumque votum cœpisset adimplere

tertia iam die, qua sepulcrum visitabat, puer in eius gremio existens, repente ferream sepulcri cratem manibus apprehendens, suis stare pedibus, & ambulare cœpit, & statim omnino sanus euasit: ita ut per se deinceps sine aliquo adminiculo ambulauerit; & inde melius semper se habens, intra nouem illos dies, quos promiserat, crura carne repleta sint: & sic perpetuo valens, & sanus deinde vixit.

*VI. Lampades sola aqua repletæ ante imaginem Xauerij ardent.*

In ecclesia Cottatæ oræ Trauancoridis in India Orientali lampades positæ ante imaginem P. Xauerij, sola aqua benedicta repletæ, sæpe ardere visæ sunt; & per multas horas, ac si oleum haberet: & hoc in fidei Christianæ confirmationem, & ad ostendendam falsitatē idololatriæ, & sanctitatem P. Xauerij, multis ethnicis, mahometanis, & Christianis videntibus, & admirantibus: quorum aliquot præsertim ex infidelibus inuitati à Christians ad videndum miraculum, vt experimentum facerent de illius veritate, aquam subinde mutarunt, & nouæ ellychnia in dictis lampadibus impoſuerunt; quæ nihilominus arserunt, vt antea: & dum essent extinctæ, ignem interdum ex seipsis concepercere.

*Infans*

*VII. Infans mortuus ad vitam reuocatur.*

In Regno Trauancoridis Indiæ Orientalis infans vnius mensis magno ventris profluvio, & febri laborans emoritur. eius cadauer inhumatum seponitur tradendum postea sepulturæ ; & per septem, & amplius horas manet coniectum linea tela; quæ fuerat ad vestem funebrem conscissa ab ipsomet parente iuxta morem illius gentis. Interim cum parens filij mortem acerbè ferret: monetur ab amicis, ut filiū Patri Francisco voueat; quippe qui posset illi vitam reddere, cum tot, & tanta miracula patrasset. parens magna fiducia de Xauerio concepta, vouit ipsius Xauerij ecclesiæ, quæ apud Cottatæ oppidum est, magnam eleemosynam, si vitam filio reddat: insuper se filio nomen Francisci impositurum. dumque multis lacrymis precatur Xauerium, coram filij cadauere, ut suæ consulat orbitati: cernitur repente puer aperire oculos, mouere manus, pedesque, ac voculas, & lamenta puerilia edere. accurunt vndique circumstantes, videntesque puerulum non modo viuum, sed omnino sanum, & valentem, acclamant, & mirantur tantum miraculum. Parens suscitatum filium dicit ad ecclesiam Xauerij, & ibi illi imposito Francisci nomine, & collata eleemosyna, voto se exsoluit: atque omnes maximam exinde erga Xaueriū concipiūt devotionem.

III. *Cæcus visum recepit ante imaginē Xauerij.*

Quidam Malabaris nomine Chiambaratecure Thesaurarius Sanctæ Crucis oppidi Colechæ Regni Trauancoridis in India Orientali, dum festos ignes componit ad ecclesiæ prædictæ festiuitatem celebrandam: sulphureus puluis inopinato accensus, vultum illi pæne totum combussum; & visum oculorum omnino ademit; ita ut nihil prorsus posset cernere. Cumque aliquot iam annos cæcus perseuerasset: appareret illi in somnis P. Xauerius, eumque monet; ut ad ecclesiam ipsius visitandam perget: fore enim, ut hac ratione lumen oculorum recipiat. è somno experrectus ducem itineris statim accipit, atque in ecclesiam Cottatæ contendit; in qua Xauerius magna veneratione colitur: ibi per nouem dies commoratus, assidua deprecatione Xauerij opem, & patrocinium implorat; & dum ante Xauerij imaginem orat, decussa caligine oculorum, lumen repente recipit; & gratijs pro beneficio actis, domum suam reuertitur absque ullo itineris duce; quæ à dicta ecclesia sex leucas distat: eamque deuotionem animo erga Xauerium concepit; ut in illius honorem multa carmina, & laudes lingua Malabarica compulerit.

IX. *Leprosus miraculoſe sanatur.*

Fran-

Franciscus Peremal natione Chiauallacaire in India Orientali homo adhuc ethnicus , cum toto corpore lepra esset affectus , & pustulis plenus , atque ab omni remedio humano desperatus , ac sæpius fidem Christianam suscipere detrectasset: monitus in somnis à P. Xauerio , adiuit ecclesiam Cottatæ , cuius oppidi erat indigena : & ibi vngens se oleo lampadis , atque prostratus ante Xauerij imaginem dum illius opem implorat , repente mundatur à lepra , & integrum sanitatem recuperat: quo viso miraculo , se conuertit ad fidem , & duos inde post menses baptizatur.

X. *Dysenterica vngens se oleo lampadis  
Xauerij perfecte sanatur.*

Francisca Rebella dysenteria , seu fluxu sanguinis tres menses continuos non sine ventris tumore laborarat. cuius morbi vis cum eam in vita discrimen adduceret; nec amplius medicamenta ei prodesse viderentur: feria quinta maioris hebdomadæ venit ad Patris Francisci imaginem in Capella quadam ecclesiæ Societatis I E S V Coulanii appensam ; vota inibi Deo nuncupat ; enique Xauerij auxilio pro recuperanda salute implorato ; cum acerbo ventris dolore , prout dysentericis euenire solet , se premi sentiret:

vngit

vngit se oleo lampadis Patris Francisci magna fide,  
ac certa fiducia recuperandæ salutis: & repente om-  
ni dolore liberatur; atque ex illa hora prorsus ab ea  
infirmitate conualescit; adeo ut nulla deinceps hu-  
iusmodi tumoris, & dysenteriæ senserit incom-  
moda.

*Pro tribus sequentibus miraculis.*

Lucia de Villanzan Sinica annorum centum &  
viginti cognouit P. Franciscum Xauerium dum  
in India prædicabat; & ab eo in fide Christiana fuit  
instructa; & ob id magnam erga Xauerium deuo-  
tionem concepit: eo deinde mortuo honestè sem-  
per, & laudabiliter vixit, frequentando sacra-  
menta Confessionis & Eucharistiæ, & inferuendo pau-  
peribus, alijsque operibus pietatis vacando. Cum-  
que medaliam, in qua effigies erat P. Francisci, ob-  
tinuissest in vrbe Coccini: duodecim ante annis ea  
tangebat infirmos; vel aquam, cui eadem medalia  
iniecta fuerat, potandam præbebat; vel ea lauabat  
partes morbo affectas, nulla tamen vtens illicita  
cæremonia, aut supersticio modo, sed magna  
humilitate, & reuerentia signans eos signo Crucis  
dicens. In nomine I E s v & Patris Francisci Xa-  
uerij tibi restituatur sanitas, qua indiges. quare  
præuia humilitate, & deuotione, sinceraque fide  
huius mulieris dignatus est Deus, opera mirabilia  
facere

facere meritis , & intercessione Xauerij, vt ex di-  
cendis patebit.

XI. *Laborans in ueterato, & ulceroso că-  
cro repente sanatur.*

Gondisaluus Rodriguez de Valle Coccinen-  
sis accolâ maximum, & ulcerosum à multis annis  
habebat cancrum cordi proximum; ita vt nec  
quiescere, nec alijs actibus naturalibus vti vlo mo-  
do posset propter magnos dolores: sumptisque  
frustra varijs medicamentis, motus fama miracu-  
lorum, quæ siebant virtute medalia P. Francisci,  
conuenit prædictam Luciam, eamque genibus fle-  
xis precatur; vt medaliam cancro applicet: cui vt  
illa morem gereret, facto prius Crucis signo, can-  
cro ulceroso medaliam imposuit, verbis prolati,  
In nomine I E S V , & Patris Francisci Xauerij tibi  
reddatur sanitas: statim & eodem momento libe-  
ratus fuit, & penitus sanitati restitutus.

XII. *Habens crura ulcerosa, & laborans dysen-  
teria miraculoſe sanatur.*

In Vrbe Coccini Emanuel Rodriguez annorum  
quinquaginta septem, habens crura ulceribus ple-  
na, varijs per aliquot annos in vanum tentatis me-  
dicamentis, ita in dies habebat peius: vt neruis  
contractis, crus vnum breuius altero euaserit; quo

neque poterat incedere , neque terram tangere ; & propterea gestatoria sede deferebatur : quibus malis ventris profluum , seu dysenteria accessit ; propterea que à medicis , prostrata omnino valetudine , derelictus est , cum nulla iam subesset spes recuperandæ sanitatis : tandem fiducia meritorum , & intercessionis Patris Xauerij , ductus ad prædictam Luciam , ab ea petiit deuotè , vt medaliam sibi applicaret . cui illa morem gessit , factò prius super cruribus signo Crucis cum verbis , In nomine Iesu , & Patris Francisci , &c. & aquam deinde potandam dedit , in qua fuerat iniecta medalia : statimque liberatus est à dictis ulceribus , & dysenteria : & intra triduū perfectam omnino recuperauit sanitatem , & sanus perseverans nullo deinde impedimento ambulabat .

*XIII. Mulier paralytica , & cæca sanitatem , & visum oculorum recuperat.*

In eadem vrbe Coccini Maria Diaz vxor Ioannis de Caruaglio per septem annos paralytica ita laborauerat ex dimidia corporis parte ; vt nec manum , nec pedem , nec quicquam ab eo latere mouere posset . item ita amiserat visum oculorum , vt à septem annis esset omnino cæca . In his infirmitatibus constituta , adita Lucia prædicta , penes

penes quam medaliam esse sciebar, cum magna  
fide precata est; ut dictam medaliam suis oculis, &  
membris affectis applicaret; & aqua illius prædi-  
ctas partes lauare dignaretur. quod cum eadem sæ-  
pius, & per septem continuos dies effecisset, im-  
ponens medaliam super oculos, & partes affectas,  
signans eas sig no Crucis, inuocato Xauerij nomi-  
ne , & easdem lauans: statim melius habere cœpit,  
& intra illud septiduum recuperauit visum oculo-  
rum, ac perfectam sanitatem recepit: & baculum,  
quo anteà ægra membra trahebat, reliquit in ec-  
clesia Societatis I E S V in memoriam accepti be-  
neficij.

## DE MIRACVLOSIS

### PRÆDICTIONIBVS.

**E**X miraculosis prædictionibus huius Serui  
Dei aliquot principaliores etiam referemus.

#### I.

Cum infideles barbari Aceni è Somatra insula  
Malacam venissent ad prædandum, cum classe,  
quæ cōstabat nauibus sexaginta, & quinque milli-  
bus armatorū; inter quos erāt Turcæ, & Ianizeri nō

pauci: aliquot Christianorum naues in Portu Malacensi incenderunt; & in captos Christianos eximiae crudelitatis exempla in odium Christianæ fidei ediderunt. Quare hortatu P. Francisci Xauerij milites Christiani non amplius triginta supra ducentos in octo naues distributi, barbaros insequuti sunt: licet re in urbis consilio agitata, ciuibus vniuersim temerarium videretur, tam paucos aduersus tantam classem huiusmodi expeditionem suscipere.

Præterea cum Lusitana classis è portu solueret, Prætoria biremis spectante Ciuitate in ipso portu, incertum quo casu, aperitur, & submergitur, saluis tamen militibus. quo infortunio excitatus populus infelicem portendi ratus euentum, temerarium iudicabat contra validam Acenorum classem tam paruo nauigiorum numero velle contendere.

Franciscus tamen Lusitanorum militum animos ad pium bellum accendens; vt Acenos Christi acerrimos hostes superbè abeuntes insectarentur, ijs præcipit: promittens certam Christi ope victoriam: eodemque die pro vna biremi amissa duas venturas, & classi esse adiungendas, pronunciat. Et ecce ante solis occasum Franciscus à cælo admonitus, biremes duas Lusitanas, vnam Didaci Suarij nobilis institoris, alteram Ioannis eiusdem

fili⁹ procul in mari conspicit , ex Molucis Patene  
venientes , instructas militibus , & bellico appara-  
tu : altum tamen tenebant , cursum vlerius diri-  
gentes , ne vectigal solitum , seu portorium Mala-  
cæ pendere cogerentur . Conscendit illico lembū  
Xauerius ; ad Didacum Suarez contendit ; eum-  
que ad bellum suscipiendum pro Christi nomine  
adhortatur . ille Xauerij rogatu , omni tributo exo-  
latus à Præfecto vrbis Simone Mello , Malacam  
cum suis biremibus appellit ; bellique socium se of-  
fert reliquis Lusitanis . Hanc igitur tumultuariā  
militum manum C H R I S T I C O H O R T E M Xa-  
uerius appellauit . Abiere milites Patris promissis ,  
ac sanctitate freti . Cumque iam vnius , & dimidia-  
ti mensis spatio nihil de illis sciretur ; famaque ab  
infidelibus vulgata , nostri ab Acenis trucidati cre-  
derentur : ciuitas vniuersa mcerebat ; & mulieres  
viros suos pro mortuis lamentabantur : multique  
ad artes illicitas , & magicas recurrebant ; vt aliquo  
modo scirent , quid tandem de illis actum esset .

Die igitur quadam Dominica sub finem con-  
cionis , ea ipsa die , & hora , qua nostri ad flumen  
Parles , quod Malaca distat trecentis milliaribus ,  
promissam à Francisco victoriam , non sine mira-  
culo obtinebant , occisis quatuor millibus bar-  
barorum , & captis , vel demeritis cunctis eorum

nauibus: postquam Xauerius modicam astantium fidem reprehendit, Diuini spiritus instinctu ad Crucifixi effigiem conuersus, cum effusa corporis actione vaticinans; primum classium congressum verbis describere per ambages coepit, ac si in ipsa pugna praesens adfuisset, auditoribus admirantibus. Postea ardentibus oculis, vultaque pro pugnantibus orat. factoque deprecandi fine, corporis deficiens iactatione, caput, quasi fatigatus, summa suggesti sponda paulisper inclinavit. deinde inusitata oris hilaritate insurgens: Recitate, inquit, vnum Pater, & Aue, & agite Deo quantas maximas potestis gratias pro victoria, quam nostri hac ipsa hora de Acenis reportarunt, tribus tantum aut quatuor ex nostris in bello desideratis; & tali die vobis aderit ea de re nuntius. Diem etiam definiuit, quo nostri reuersuri erant spolijs onusti.

Vaticinationem multiplici successu exitus cōprobauit: nam biduo, triduoē post, eo die quo Pater prædixerat, nuntius aduenit; nostrique spolijs onusti dicta subinde die reuersi sunt: collatis que inuicem rebus, ac circumstantijs omnibus; constitit eadem ipsa hora, qua Pater Franciscus Malacæ in tanta locorum distantia pronuntiauerat, victoriam contigisse. illudque pro maximo miraculo yniuersa ciuitas habuit: cum nonnisi diuinæ

uina reuelatione, quæ pronuntiata sunt à Franci-  
ſco, ſciri potuiffent.

## II.

Cum Pater Francifcus naui Iacobi Pereiræ, cui à  
Sancta Cruce nomen erat, veheretur; oborta que  
graui tempeſtate nauæ, ac reliqui vectores time-  
rent, ne procellæ impetus nauem diſcerperet; ipſe  
omnes hoc metu liberauit; & eam benedicens præ-  
dixit; nauem illam non in mari tempeſtatis vi, ſed  
in nauali diſſoluendam. Deinde Pereiræ nauarcho  
peritiſſimo denuntiat naufragium alterius nauis,  
quæ vna cum iplſis è portu ſoluerat; & breui ſe illius  
calamitatis conſpecturū indicia. Nec multo poſt  
ſedata procella, viderunt ſuper vndas tabulas, &  
cadauera fluentia; certiſſima diſſipatæ nauis  
indicia.

Cæterum nauis illa Pereiræ annos prope trigin-  
ta Patri Franciſco ſuperſtes, quamuis vetuſta, & ca-  
riosa, fluētibusque labefactata, ex tot cursibus, ac  
tempeſtatiibus in columis ſemper euafit: quin ve-  
tores, iſtitoresque dictæ prædictioni confiſi in  
illam certatim suas merces imponebant; ac ſine  
metu naufragij, iacturæque ultro, citroque  
commeabant. Quocumque appellebat nauis, tumul-  
tu, & plauſu populi excipiebatur:  
& tota iam India illam vocabat nauem  
Sancti

Sancti Patris. Demum Duci cuidam Diensi diuēdita, post multas nauigationes cum Coccinum appulisset, ibique in nauale subducta esset, ut quassata reficeretur, ibidem se ipsa dissoluta est: & sic Xauerij vaticinationem comprobauit.

## III.

Cum Xauerius Malaca ad Amboinum insulam trajceret: cum eo profectus est Ioannes de Arausio Mercator Lusitanus, sub idem vero tempus classe Hispanorum vna, & altera Lusitanorum ad Amboinum appulsis, cœpit ſæua lues quam plurimos vtriusque classis abſumere. itaque Xauerius de more res necessarias, & medicamenta à diuitibus conquisita, e gentibus ægrotis ſuppeditabat; à diuite Arausio eiusmodi eleemosynas potissimum petens; qui tamen ſua tenacius conſeruans, iam ægre præſtabat Xauerio frequentius petenti; metuens, ne ſibimet ipſi aliquando deeffent. Vnde cuidam Francisco Palea Xauerij nomine pro infirmo roganti vinum, ægre dedit: admonens, ſe id Francisco tum quidem dare; ſed ea conditione; vt in posterum aliud tale ab eo non poſtularet. Quod ubi Xauerio nunciatum eſt ab eodem Francisco Palea: Xauerius repente, quid? existimat, inquit, Arausius, poſſeſſionem eorum, quæ habet, fore diuturnam; & conſumpturum ſe eſſe ſuum vinum?

errat

errat certo: sciat, se in hac ipsa insula esse moritum, & eius bona in usum pauperum cessura. & postea eum monuit, ut libenter pro infirmis petita præstaret, animæque suæ consuleret: quandoquidem illa esset ultima terra, in quam de naui exscensurus erat.

Prædictioni respondit euentus, discedens enim Pater Franciscus ex Amboino in Molucam, in eadem insula reliquit Arausium. Postmodum cum in Ternate insula, quæ una est ex Molucis, post multos dies sacrum faceret in magna populi frequentia: post offertorium, conuertens se de more ad populum dixit: Orate fratres pro anima Ioannis de Arausio, qui modo in Amboino expirauit; & commendare illam Deo: heri sacrum pro illo feci, & hodie iterum facio. ad hæc mirati qui aderant, post mutuos præ stupore intuitus, quæsiuete inter se; qua tandem ratione id scire Franciscus potuisse, cum ab eo loco distaret Amboinus passuum milibus amplius ducentis; & neminem per eos dies inde venisse constaret. admiratione deinde in expectationem versa, notatur res diesque ab ijs, qui audierant: & tamdiu fuere de re dubij, donec interiectis duodecim diebus, naui ex Amboino versus Raphael Caruallius, Arausij mortem nuntiavit: id quod etiam ex litteris à Joanne Derio ad Xauerium missis, & à Caruallio delatis certo consti-

tit; illum nimisum esse mortuum in loco Tibiqui-  
fanis eiusdem insulæ: & temporibus præterea, ac  
rebus inter se comparatis, omnia cum Francisci  
prædictione congruere comperta sunt. Quare  
nemini dubium fuit, quin id Xauerius diuinitus  
cognouisset. adeoque illum, tanquam prophetiæ  
dono præditum, omnes suspicere cœperunt.

## IV.

Meliapore quidam mercator erga Patrem Fran-  
ciscum maximè pius, illum salutauit in digressu, vo-  
lens nauigare Malacam: instanterque petijt ali-  
quid, conseruandæ illius memoriæ causa. Xauer-  
rius è collo detraçtam precariam coronam ei de-  
dit, commendans, ut eam magni æstimaret; & si-  
mul ei promisit, quod quamdiu illam apud se ha-  
beret, non esset in mari peritus. quod ita prorsus  
euenit. Nam in ea nauigatione, cum iam esset  
prope Malacam, longissimè à Meliapore, nauis,  
qua vehebatur, vi tempestatis abrepta in mari per-  
ijt; & desiliens mercator cù nonnullis alijs vecto-  
ribus in tabulata, quæ ex lignis raptim composue-  
rant; in alto mari alienato à sensibus animo deli-  
quium, seu animi ecstasim passus est: in qua sibi  
videbatur proprijs oculis inspicere Patrem Xaueri-  
um, & cum illo colloqui in eodem loco, à quo pro-  
fectus fuerat, & à Xauerio acceperat precariam

coro-

coronam. demum quinto post die, ex quo desilijt in ea tabulata, ab illa animi ecstasi, velut ab alto somno experrect⁹, repente se vidit in littore Negapatan⁹ prope Meliaporem saluum, & incolumem, ereptum à fluctibus, amissis, marique absumptris reliquis omnibus, qui cum eo in tabulata desilierant: quia neque amplius illi, neque ea comparuerunt.

## V.

Cum Pater discederet ex Moluco, & traiiceret in insulam Mori, lætis omnibus, qui nauigio vebantur: in medio cursu, certo quodam die quasi indignans surrexit, & scindens vestem exclamauit: I E S V, illi homines, qui occidunt illos homines! cæterum vectores nouitate permoti, ad Xauerium accurrūt; & quid rei esset, percunctantur: tūm ille in se rediens, re dissimulata, nihil esse respondit. Verum cum nauis ad insulæ portum appulit, comperiunt quosdam Lusitanos in littore à latronibus fuisse interfectos eo ipso tempore, quo Pater prædicta verba protulerat in naui.

## VI.

Ioannes Durus Mercator adolescens ex Ceilano profectus in vrbē sancti Thomæ, conuenit Patrem

Franciscum Xauerium ; vt cum illo confiteretur. confessione peracta à Francisco petit ; vt semet vi-  
tae socium accipiat ; quod tandem post multas pre-  
ces obtinuit ; & opes suas in pauperes distribuere  
cœpit. postea tamen à communi hominum hoste  
sollicitatus , à Francisci obedientia se abduxit ; & cū  
in quædam peccata incidisset , mercibus in nauic-  
culam occultissimè impositis , Xauerio inscio , ut  
credebat , parabat fugam . tum Pater occultæ fu-  
gæ consiliū diuinitus cognoscens , subito per pue-  
rum , eum iam iam è portu soluturum ad se vocari  
iubet : quo nuntio vehementer admiratus consti-  
tit , dubius quid ageret . sed rem dissimulans tandem  
decreuit ad Franciscum vocantem ire : quem vix  
limen domus attingentem , aspiciens Pater , Pecca-  
sti , inquit , peccasti . Quibus ille auditis submisso  
capite respondit . Verum est , peccavi : cui adiunxit  
Franciscus , Accede igitur ad confessionem . qui-  
bus verbis Durus adeò fuit comotus ; vt domū pro-  
fectus , eo ipso die nauigium vendiderit ; & facta  
confessione , atque in pauperes mercibus distribu-  
tis , socium se , vt antea , Xauerio constanter adiun-  
xit .

Cum illo itaque traiecit in insulas Molucas , &  
iterum Malacam venit . inde in desertam insulam  
delatus , cum in æde quadam sacra moraretur : de  
nocte grauiter tentatus fuit à dæmone ; & (incer-  
tum

tum vigilans an somnians) insolita aliqua vidit; nec ita multo post, cum sua delicta de more confiteretur, visionem cœlauit. at Xauerius re diuinatus cognita in confessione, ex eo quærerit, quidnam rei in desertæ insulæ templo ei contigerit. nihil vero, inquit ille: cum Pater instaret iterum, & sapientus semper visionem cœlauit. tandem Franciscus, ut vedit illum ex composito visa cœlare; ipsem et omnia enarrare cœpit. quod audiens Durus, obstupuit: & cognovit Deum in Francisco habitare; ac demum cum illo redijt in gratiam; cui postea Xauerius denuntiauit, fore ut Franciscanorum institutum, ac disciplinam amplecteretur, ibique æternam salutem esset consequuturus. Prædictio non defuit euentus. Durus enim Religionem sancti Francisci ingressus est.

## VII.

Cum Xauerius aliquando Machai apud Sinas Petrum Vellium latrunculis ludentem in domo aliena conueniret, ab eo petiit eleemosynam ad opus faciendum: ei Vellius tradidit clauem arcæ nummariæ, auferre iubens, quot vellet nummos. Xauerius adiuit domum illius; & trecentis nummis aureis ex arca deproptis, Vellio reddidit clauem. qui rediens domum, & aperiens arcam nummariam, nullam pecuniam ex ea cognovit defuisse: & sic

scitanti à Xauerio , quantum auri abstulisset: Pater respondit , se deprompsisse trecentos aureos: cui Vellius se reperisse dixit omnes, quotquot habebat in arca nummos, nulosque defuisse: addiditque, ei se arcæ clauem eo animo tradidisse, ut ex æquo dimidiam triginta millium aureorum, qui aderant, partem sibi demeret: cui Xauerius: Ego vero tibi Velli in Dei nomine polliceor: nunquam Deum tibi defuturum dum vixeris, & tibi semper suppeditaturum abundantea , quæ tibi opus erunt; & omnes tibi liberali animo , & voluntate largituros: quinimo diuinitus supremum vitæ diem agnoscet. Nec Vellum Franciscus fefellit: quia licet ei acciderint multa, quibus esset casurus in paupertatem, nisi omnes eum liberaliter iuuissent: nihil tamen illi aliquando pro se, & pro sua familia defuit.

Multos igitur post annos diuinitus de instanti morte Vellius præmonitus rem suam familiarem magna ex parte in pauperes prius diuisit: missas celebrari pro anima sua iussit: propinquis, & amicis vltimum vale dicens ; Xauerij prædictionem , eiusque euentum latus ijs exposuit; qui eum delirare credebant. At vero cum interfuerit missæ, solemni ritu defunctorum celebratae; ipse se in feretro composuit tapete coopertus, mortem senex expectans. Finita missa , & dicto à Sacerdote responsorio

forio, Requiescat in pace: accurrerunt famuli eius, ut auferrent tapetem, credentes viuum esse: sed ille iam animam creatori suo reddiderat. quæ res comprobauit Xauerij vaticinationem.

HÆC sunt, Pater Beatissime, quæ ex legitimis actis huius causæ dicenda fuerunt de vita, & moribus Serui Dei Francisci Xauerij Societatis I E S V; ac de miraculis illius intercessione, & meritis factis. Quibus latius in pluribus Congregationibus diligenter perpensis, atque discussis Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum in eam sententiam vnanimes venerunt: Posse Sanctitatem Vestram (si ei placuerit) ad vltiora procedere, & Canonizationem Serui Dei Francisci Xauerij iuxta Sacros Romanæ Ecclesiæ ritus perficere, & solemniter celebrare.

*AD MAIOREM DEI  
GLORIAM.*

**E R R A T A.**

In vita B. Ignatii pag. 33. u. 8. spericum. tolle primum s.

In vita B. Xauerii pag. 29. v. 1. sic lege Defama Sanctitatis, & nomine Apostoli. pag. 41. dele primum versum.

